



N legem velut abiit consuetudo, multis ab-
hinc annis recepta, ut qvoties in Curiâ No-
bilissimus Magistratus Novum Consulem,
novumq; inter Patres conscriptos Ordinem
indeptus est, Gymnasium velut Posteritatis & impri-
mis Curiæ plantarium, suo plausu felicitatis omen, ac
obsequii tesseram soleat offerre. Tantoq; firmius in-
hæsisse videntur huic consuetudini tum Docentes
tum Discentes, qvod nunquam defuerint Auditores
& Hospites ad excitandam vel comprobandam hanc
industriam paratiſſimi. Cum igitur præſens etiam
annus hanc vovendi & declamandi materiam nobis
reddidisset, animoq; simul obversaretur publica hæc
calamitas, qvæ non Austria modò vicinasq; Vien-
næ Provincias, sed universum corpus, cuius Austria
membrum est, insigni terrore complevit: facile po-
teramus inclinare in id argumentum, ut præcipua FE-
LICITATIS POLITICÆ Requisita, disputationi-
bus in variam opinionem abeuntibus, illustrarentur.
Sive enim hæc meditatio præteritorum annorum feli-
cem mēmoriā refricare videtur, qvid ad preces pro
futura prosperitate fundendas commodius? Sive e-
tiam sic manuduci debent Oratoriæ Studiosi, ut, dum
verbis & formulis inhiant, Rerum simul præstantiſſi-
marum curioso studio sensim abripiantur, qvid pe-
titâ hâc ē Politicis qvæſtione solidius? Certè Practi-
cam Disciplinam nemo attinget feliciter, qui Finem
prius non cognoverit: ac cum ipſe Finis ē multis con-
ſistat partibus, de singularum prærogativâ ſedulò di-
ſpiciendum est, ne, dum boni minoris curâ tenemur,
majus aliquod interim negligamus, vel cum publica
necessitas alterius jacturam urget, inter duo bona, id
re-

REVP 36 20150111A 1
SLUB